

DE LECTONIA

Lectonia Scithiae est provincia, cuius populi Lectimi sunt vocati, homines robusti et fortes, bellicosi et feroce. Est autem Lectonia regio, cuius gleba est fructifera, palustris in multis locis et valde nemorosa, fluminibus et aquis irrigua, feris et pecudibus valde plena. Nemoribus et paludibus est munita, paucas habens alias munitiones praeter flumina, nemora et paludes. Et ideo in aestate vix potest illa regio expugnari, sed solum in hieme, quando aquae et flumina congelantur. (*Lib. XV, cap. LXXXVII*)

DE LIVONIA

Livonia est eiusdem regionis et ideo omnis provincia specialis, quae longo maris Oceanus interiectu a finibus Germaniae est divisa, cuius incolae Livones antiquitus vocabantur, quorum ritus fuit mirabilis antequam a cultura demonum ad unius Dei fidem et cultum per Germanicos congerentur. Nam deos plures adorabant prophanis et sacrilegis sacrificiis, responsa a demonibus exquirebant, auguriis et divinationibus serviebant. Mortuorum cadavera tumulo non tradebant, sed populus facto rogo maxime usque ad cineres comburebant. Post mortem autem suos amicos novis vestibus vestiebant et eis pro viatico eius oves et boves et alia animantia exhibebant. Servos etiam et ancillas cum rebus aliis ipsis assignantes una cum mortuo et rebus aliis incendebant, credentes sic incensos ad quandam vivorum regionem feliciter pertingere et ibidem cum pecorum et servorum sic ob gratiam Domini combustorum multitudine felicitatis et vitae temporalis patriam invenire. Haec patria tali errore demonum antiquissimo tempore fascinata modo in parte magna cum multis regionibus subditis vel annexis divina precedente gratia et cooperante Germanorum potentia creditur a predictis erroribus esse liberata. (*Lib. XV, cap. LXXXVIII*)

DE RIVALIA

Rivalia est provinciola quondam barbara, distans multum a Dacia, cuius pars Vironia est vocata, multam habens audaciam, nunc autem sub fide Christi regno Dacie est subjecta. A «virore» sic dicta eo, quod sit graminosa et pascuosa, in locis pluribus nemorosa, cuius gleba est mediocriter frugifera, aquis et stagnis irrigua, piscibus marinis et lacualibus est fecunda, plures habens greges pecudum et armenta. Scithiae vero partibus coniuncta solo fluvio, qui Narva dicitur, a Noricorum et Megardorum regionibus est discreta, ut dicit Herodotus. (*Lib. XV, cap. CXXVI*)

DE SAMBIA

Sambia Mesiae est provincia in Europa, inferiori Scithia ibi locata quasi media inter Pratenes, Estenes, Osilianes, Livones et Curones, qui omnes antiquitus Gothorum erant subditi potestati, ut narrat Varro, similiter et Herodotus. Inhabitant littora oceanii facientes promunctoria et sinus contra latera aquilonis, ut dicit idem. Est autem Sambia terra fertilis gleba et frugum ferrax, terra palustris et nemorosa, multis fluminibus et lacubus circumvallata.